

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livi Ab urbe condita libri

Livius, Titus

Berlin, 1907

Periochen

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-4432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-4432)

T. LIVI

AB VRBE CONDITA LIBRORVM PERIOCHAE.

T. LIVI

AB VRBE CONDITA LIBRI XXXVII PERIOCHA.

L. Cornelius Scipio consul legato Scipione Africano fratre, qui se legatum fratris futurum dixerat, si ei Graecia provincia decerneretur, cum C. Laelio, qui multum in senatu poterat, ea provincia dāri videretur, profectus ad bellum adversus Antiochum regem gerendum, primus omnium Romanorum ducum in Asiam traiecit. Regillus 5
adversus regiam classem Antiochi feliciter pugnavit ad Myonnesum Rhodiis iuvantibus. filius Africani captus ab Antiocho patri remissus est. victo deinde Antiocho ab L. Cornelio Scipione adiuvante Eumene, rege Pergami, Attali filio, pax data est ea condicione, ut omnibus provinciis citra Taurum montem cederet. L. Cornelius Scipio, qui 10
cum Antiocho debellaverat, cognomine fratri exaequatus Asiaticus appellatus. Eumenis, quo iuvante Antiochus victus erat, regnum ampliatum. Rhodiis quoque, qui et ipsi iuverant, quaedam civitates concessae. colonia deducta est Bononia. Aemilius Regillus, qui praefectos Antiochi navali proelio devicerat, navalem triumphum duxit. 15
M. Acilius Glabrio de Antiocho, quem Graecia expulerat, et de Aetolis triumphavit.

T. LIVI

AB VRBE CONDITA LIBRI XXXVIII PERIOCHA.

M. Fulvius consul in Epiro Ambracienses obsessos in unctionem accepit, Cephallaniam subegit, Aetolis perdomitis pacem dedit. Cn. Manlius consul, collega eius, Gallograecos Tolostobogios et Tectosagos 20
et Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierant, cum soli citra Taurum montem non parerent, vicit. eorum origo, et quo modo ea loca, quae tenent, occupaverint, refertur. exemplum quoque virtutis et pudicitiae in femina traditur. quae cum regis Gallograecorum uxor fuisset, capta centurionem, qui ei vim intulerat, occidit. lustrum 25
a censoribus conditum est: censa sunt civium capita ducenta duodesexaginta milia trecenta decem. cum Ariarathe, Cappadociae rege, amicitia iuncta est. Cn. Manlius contradicentibus decem legatis, ex quorum consilio foedus cum Antiocho conscripserat, de Gallograecis

- 30 acta pro se in senatu causa triumphavit. Scipio Africanus die ei dicta, ut quidam tradunt, a Q. Petillio tribuno plebis, ut quidam, a Naevio, quod praeda ex Antiocho capta aerarium fraudasset, postquam is dies venit, evocatus in rostra 'hac die' inquit, 'Quirites, Carthaginem vici' et prosequente populo Capitolium ascendit. inde, ne am-
- 35 plius tribuniciis iniuriis vexaretur, in voluntarium exilium *Liternum* concessit. incertum, ibi an Romae defunctus sit; nam monumentum eius utrobique fuit. L. Scipio Asiaticus, frater Africani, eodem crimine peculatus accusatus damnatusque cum in vincula et carcerem duceretur, Tib. Sempronius Gracchus tribunus plebis, qui antea Sci-
- 40 pionibus inimicus fuerat, intercessit et ob id beneficium Africani filiam duxit. cum quaestores in bona eius publice possidenda missi essent, non modo in his ullum vestigium pecuniae regiae apparuit, sed nequaquam tantum redactum, quantae summae erat damnatus, conlatam a cognatis et amicis innumerabilem pecuniam accipere noluit;
- 45 quae necessaria ei erant ad cultum, redempta.

Abweichungen vom Text der Jahnschen Ausgabe
(Lipsiae MDCCCLIII).

19 *Cephallaniam*] N ζ ; s. Anhang zu 36, 11, 9; *Cephaleniam* Jahn. — 23 *refertur*] NP; *referuntur* ζ , Jahn. — 27 *decem*] *duodevigi-
ginti* vermutet ML, indem er annimmt, daß der Abschreiber *uIII* vor
cum übersehen habe; vgl. Liv. 38, 36, 10. — 30 *in senatu causa*] N;
causa in senatu Jahn. — 32 *postquam*] NP; *posteaquam* Jahn. —
40 *fuerat*] NP; *erat* Jahn.